

279
a 1529 d. 20 Junij 254 v. 219

Petrus Tomicki, Christophoro de Schidlowice
castellano Cracoviensi regni cancellario.

94
Magnifice domine, domine et amice honorandis-
sime. Paulus qui has literas magnificentie ve-
stra reddet, fuit non ingratus servitor fratris
mei domini castellani Gnesnensis. Is cum proxi-
me ante illius mortem propter causam que il-
li contigit, dum Bisdrensem prefecturam vice
ipsius administraret, ab illo discessisset, hucus-
que sine certo domino fuit. Cuius rei tadio
permotus, nunc tandem ad magnificentie vestrae
aulam, adiecit animum, meque rogavit ut il-
lum magnificentie vestrae in servitorem commen-
datione mea addicerem. Ego tametsi non liben-
ter servos cuipiam commendare et obtrudere
soleam; nolens tamen precibus illius deesse,
et sciens illum probum ac honestum, deque fra-
tre meo bene meritum esse; plurimum rogo ma-
gnificentiam vestram, ut illum in numerum
servitorum suorum recipere, gratiaque sua com-
plecti velit. Ego enim vicissim hoc omni officio
amicitiae, et benevolentiae fraternali magnificentiae ve-
stra referre curabo, cuius nunc etiam benevo-
lentia et amor me plurimum commendo, et
eam felicissimam esse, atque in multos annos
cum suis omnibus sospitem ac incolumem ve-
hementer Desidero. Datum in Bolechowice die
vigesima Junij.

